DISSERTATIO. DE. ERVDITIS. GERMANIAE. MVLIERIBVS.

VI.

QVAM.
PRO. SVMMIS. IN. PHILOSOPHIA.
HONORIBVS. ET. PRIVILEGIIS.
RITE. CONSEQVENDIS.
PRAESIDE.

VIRO. CELEBRATISSIMO.
DN. MAGNO. DANIELE.
OMEISIO.
ETHIC. ET. ELOQV. PROF. P.
LONGE. MERITISSIMO.
IN. ALMA. ALTDORFINA.
PVBLICAE. DISQVISITIONI. SVBMITTET.
CHRISTOPHORVS. CHRISTIANVS.
HAENDELIVS.
HEILSBRONNA-FRANCVS.

ALTDORFI. NORIC.
D. XXII. JUNI,
A. R. S. CIↃ IↃ C LXXXIIX.

Literis HENRICI MEYERI, Vniv. Typogr.

PER-ILLVSTRI & GENEROSISSIMO
DOMINO,
DN. CHRISTIANO FRIDERICO,
L. B. à Stein/ in Bechenheim & Nieder-Stozing &c.
Conſiliario Onoldo-Brandenb., ſummoqve Præfecto in Burkthann & Schönnberg/ nec non Sylvarum Reiq; Venatoriæ ſuper Arenam, ut dicitur, Supremo Præpoſito:
Ut &
ILLVSTRI & GENEROSISSIMO
DOMINO,
DN. CHRISTIANO SIGISMVNDO à Luchau/
Domino in Donn- & Eckersdorff/ ut & in Plankenfels/
Conſiliario Onoldo-Brandenb., ſummoq; Præfecto in Crailsheim/ Werthbeck/ Bemberg/ Loh- & Anhaußen/
DOMINIS SVIS GRATIOSIS,
Vitam & Felicitatem precatus,
hanc de Eruditis Germaniæ Mulieribus Diſſertationem
ſacram fieri voluit
AVTOR.

C. J. M.

Q*Uæri ſolet*, An Mulieres ſtudiis literisq; elegantioribus adhiberi poſſint ac debeant? *In negantem ſententiam è Veteribus propendere videtur Euripides in Hippolyto inquiens:*

Σοφὴν δὲ μισῶ. μὴ γὰρ ἔν γ' ἐμοῖς δόμοις
Ἔη φρονοῦσα πλεῖον, ἢ γυναῖκα χρὴ
Τὸ γὰρ πανοῦργον μᾶλλον ἐντίκτει Κύπρις
Ἐν ταῖς σοφαῖσιν.

Odi eruditam. ne meæ unquam ſit domi,
Quæ plus ſciat, quam mulierem ſcire expedit.
Namq; eruditis ipſa majorem Cypris
Aſtutiam indit.

Et Juvenalis Satyr. VI. canens:

Non habeat Matrona ---
Dicendi Genus, aut curtum ſermône rotato
Torqueat enthymema, nec hiſtorias ſciat omnes.

E Junioribus Janus Huartus, Hiſpanus, in Scrutin. Ingen. ita ſcribens: Femellæ ob rationem frigiditatis humiditatisq; ſexus ſui profundum aliquod ingenium conſequi non poſſunt. Equidem videmus cum aliqua habilitatis adparentia eas loqui, in materiis levibus ac facilibus, idq; per terminos uſitatos ac proletarios: ceterùm ubi ad literarum ſtudia adhibitæ fuerint, nihil aliud addiſcere comprehendereq; poſſunt, quàm aliquantulum latinitatis: idq; ideò tantùm, quoniam memoriæ id opus eſt. c. 21. *Mea verò ſententia eſt, Fœminas, præcipuè ingenuas, nobiles, opulentas, quibusq; adeò Fortunæ favor juſtas fecit ferias, otium ſuum in Literis potius, quàm aliis rebus, laudabiliter conſumere; neq; ineptum eſſe ſexum ſequiorem ad Literas elegantiores excolendas,* (1) *quia Natura Mulieres quoq; fecit homines, adeòq; facultatibus illis animæ rationalis, quæ aliàs artium ac ſcientiarum ſubjectum habentur, donavit; Judicio nempè, quo*

media ad eruditionem ducentia tum apprehendere tum æſtimare, & Memoriâ, quâ eadem aſſervare queant. (2) Quia id confirmat Experientia, teſtanturq; Exempla complurium Fœminarum, omni Eruditionis Genere per humanam induſtriam excultiſſimarum; qualia reperiri, niſi Natura easdem habiles reddidiſſet, neutiquam poſſent. Non jam dicam, venerandam Antiquitatem ipſis Artibus Literisq; Præſides Minervam ac Muſas præpoſuiſſe: quod facere utiq; refugiſſet, ſi ſexum fœmineum ad artium ingenuarum cultum credidiſſet ineptum. Sed Exemplis potius meam corroborabo ſententiam. Et cùm alii de Eruditis Mulieribus jam egerint generatim, alii ſpeciatim certi alicujus Regni aut Provinciæ claras deprædicârint Fœminas, quemadmodum v. g. Joh. Pereſius Moya, Hiſpanus, de Claris ſcripſit Hiſpaniæ Mulieribus; ita operæ pretium me facturum exiſtimavi, ubi Earum, quas Germania noſtra, inprimis Superior, (ſecundum illam ejus Diviſionem ac Deſcriptionem, quam vide in Exc. Dn. Mart. Beerii Enchiridio V. & N. Geographiæ Sect. III. §. 99. u. a. 153. ſine Germania Inferiore ſive Belgio, conſiderata,) genuit aluitq;, collegero Nomina, pariterq; oſtendero, non exteras tantùm & peregrinas Regiones de Laude Laudatiſſimarum Mulierum gloriari poſſe, ſed & Germaniam noſtram, quibus ſe extollat, habere, aliisq; gentibus aut præripere hâc in re palmam, aut certè non concedere. Equidem nullus dubito, quin complures alias variâ rerum ſcientiâ exornatas Mulieres Germania in gremio ſuo foverit, hodieq; foveat, quarum nos mentionem hìc fecimus nullam; cùm nec Scriptores earum meminerint ullibi, nec Ipſæ publicis ſcriptis ſuam comprobârint Eruditionem. Idcircò etiam merebimur veniam, & excuſabit nos ignorantia, ut ita dicam, invincibilis. Quis enim eas, de quibus nihil viſu, nihilq; accipitur famâ, numerare inter Eruditas poterit? Nomina verò mihi cognitarum publicéq; celebrium ita collocavi, ut Literis ſingulis alphabeti reſpondeant; idq; ideò, quia & evolventibus & mihi hanc ſeriem commodiſſimam fore perſpexi. Quibus præmiſſis, ipſa Ipſarum ſequuntur Nomina: dabitq; Principium

A.

ADELHEIDIS. Hæc Religioni ſeſe dedidit totam, vitamq; monaſticam in oppido *Bingen*, A. O. S. 1140. amplexa eſt; ibiq; ab omni hominum conſortio adeò remota egit, ut, teſte *Nauclero*, (in Chronic. ſuo, & quidem Gen. 39.) in tuguriolo anguſto, ad templi parietem exſtructo, toto vitæ ſuæ tem-

tempore delituerit. Raptam perhibent frequenter in ſomnis, nulloq; adjutam magiſtro non ſolùm eleganter locutam eſſe, ſed & dictâſſe aliis Latinè, quæ nil niſi profundam ſpirarent eruditionem. Franc. Auguſtinus de Eccleſia commemorat, multa eam prædixiſſe, quibus accuratè ſemper reſponderit eventus.

ALBERTINA (Catharina), M. Nicol. Alberti filia, Bohema, quæ circa ſeculi hujus initium vixit, & Linguarum Bohemicæ, Germanicæ, Latinæ, Ebraicæ & Græcæ perita fuit. Vid. G. Mart. à Baldhoven circa finem Parthen. Weſton.

ANNA SOPHIA, Sereniſſimi Haſſiæ Landgravii GEORGII Filia, Capituli Quedlinburgenſis Abbatiſſa, quæ ſingularem eruditionem nacta, Scripturæ Sacræ, Theologiæ, Patribus, Linguis tum orientalibus tum occidentalibus ſedulam navavit operam. Editus eſt ejusdem Libellus Jenæ A. 1658. cui Tit. Der treue Seelen-Freund CHRISTUS JESUS/ mit nachdencklichen Sinn-Gemählden/ anmuthigen Lehr-Gedichten/ und neuen Geiſtreichen Geſängen. Vid. Cl. Paſchium in Gynæc. docto.

ANTONIA, ex Sereniſſima Excelſiſſimorum Würtenbergenſium Ducum Familia oriunda, tribus abhinc luſtris magis magisq; maximum & decantatiſſimum NOMEN ſuum divulgare cœpit, ita, ut Fama ejus nullis unquam ſeculis, nullis moritura ſit ætatibus. Pietas enim in DEVM O. M. fidem excedens, Latinæq; juxta & Hebraicæ Linguæ ſcientia exactiſſima, longo & indefeſſo parta ſtudio, Virtutes etiam reliquæ, tam celſa Perſona dignæ, novum prorſus & recentiſſimum in Eminentiſſimam Ipſius DOMVM intulerunt decus. Hæc nunquam ſatis laudata Princeps Fœmina, tam egregiam Cabalæ Hebræorum notitiam habuit, ut peritiſſimos etiam hoc in ſtudio ſpiſſo valdè difficiliq; antevenerit. Exſtat ejus ingenioſa Fabrica Hieroglyphica, *Turris Antonia* dicta, quæ in Ædibus SS. TRINITATI ſacris, in oppido *Deynach*, non ſine ingenti admiratione ab omnibus, qui iter eò faciunt, conſpici ſolet. In Turris hujus erectione elegantem habuit concionem Max. Rev. Dn. Balthaſar Raithius, S. Theol. D. & P. P. Tubing. A. P. C. 1673. Ipſa verò incomparabilis Princeps, & illuſtre Illuſtriſſimarum Principum Exemplum, ſpiritum ſuum cœlo, unde acceperat, reddidit A. 1679. 1. Octobr.

B.

BOSIA (Johanna Margareta) Adm. Rever. Dn. M. Pauli Boſii, ad S. Crucis Ædem apud Dresdenſes Eccleſiaſtis meritisſimi, Filia, Græcam, Latinam, & Gallicanam Linguam, Literasq; Sacras & Hiſtoricas eleganter edocta. Cl. Paſch. in Gynæc. doct.

A BVWINGSHAVSEN (Margareta Maria) Baroniſſa, Poëtria felicisſima. Hæc frequens Literarum cum Viris Illuſtriſſ. Clariſſimisq;, præcipuè Joh. Wilhelmo, Domino à Stubenberg, unter den Fruchtbringenden / dem Unglückſeeligen / & Sigismundo à Birken, dem Erwachſenen ꝛc. inſtituit commercium; ac præter notitiam Linguæ Latinæ ac Gallicanæ, Carmina Teutonica ſcripſit elegantisſima. Virginis hujus Illuſtrisſimæ Svadam & in Arte Poëtica præſtantiam Celeberr. Dn. Præſes coràm Viennæ Auſtriæ, ante annos XVIII, iterum iterumq; ſummo admiratus eſt opere.

C.

CRAMERIA (Anna Maria) Parthenopolitanâ, nata eſt A. 1613; vivere deſiit A. 1627. Patrem habuit M. Andream Cramerum, Paſtorem Magdeburgicum. Romanis Hebræisq; Muſis non pœnitendam navavit operam; Hiſtoriæ inſuper & Poëſeos fuit ſtudioſisſima.

CVNITIA (Maria) Sileſia A. 1650. claruit. Fuit Dn. Heinrici Cunitii Med. Doct. Filia, Dn. Eliæ von Löben, itidem Med Doct. Uxor; Linguæ Germanicæ, Italicæ, Gallicæ, Polonicæ, Latinæ, Græcæ atque Hebrææ oppidò perita. Edidit volumen Mathematicum cum Inſcriptione *Vraniæ Propitiæ*; quo ipſo ſuam in Linguis & Scientiis Theoreticis eruditionem ſatis probavit ſuperq;. Vid. Hallerv. in B. C. p. 260. Cl. Paſchium in Gynæc. doct. & Lippen. Bibliothec. Real. Philoſ. p. 1579.

CVRIONIA (Angela), Cæl. Secundi Curionis Filia A. 1564. exhalavit animam. Epitaphium ejus Baſileæ tale conſpicitur:

PIET.

PIET. VIR. ET HONORI D.

ANGELÆ CVRIONIÆ NOBILI ET
GENEROSÆ PVELLÆ, CVIVS DIVINO
INGENIO ATQ. INDVSTRIÆ NIHIL
DIFFICILE VNQVAM EST VISVM,
QVOD INGENVAM, PVDICAMQ.
PVELLAM DECERET: QVÆ ITALICE,
GERMANICE, GALLICE, VENVSTE
LOQVEBATVR, LATINE NON
IGNARA: OMNIS ELEGANTIÆ
DECORIQ. STVDIOSA: CANDORE
ANIMI, VIRGINALI VERECVNDIA,
RELIGIONE IN DEVM, PIETATE
ERGA PARENTES, CARITATE IN
FRATRES SORORESQ. COMITATE
IN OMNES INSIGNI FVIT.

CÆLIVS SECVNDVS CVRIO PATER,
ET MARGARITA ISACIA MATER,
ITALI, IN BEATÆ REPARATIONIS
SPEM FILIÆ DVLCISS. AC
PRÆSTANTISS. PP.

PESTILENTIÆ ARDORE TRIDVO
CONSVMTA, AD CHRISTVM IESVM
MIRA ALACRITATE MIGRAVIT,
ÆTAT. SVÆ ANNO XVIII. SAL.
HVM. MDLXIV. IV. NON. AVG.

Vid. Baſileenſium Monumentorum Antigrapha P. P. à Simone Grunæo p. 31.

D.

DEGENFELDIA (Sophia Eleonora), quæ ſagaci ingenio egregioq; Linguarum, Germanicæ, Gallicæ, Italicæ, Latinæq; cultu, pulcherrimisq; morum blandimentis CAROLVM LVDOVICVM, ELECT. PALAT. glorioſiſs. mem. in amorem ſui abripuit.

E. EIN-

E.

EINSIDELIA (Margareta Sibylla), uxor LÖSERI, Toparchæ in Salitz &c. Ebraicè, Græcè, Latinè, Italicè doctiſſima, pangendisq; verſibus feliciſſima. Hujus meminit CL. M. Joh. Sauerbrei Diſp. poſter. de Fœm. Eruditione, in Catal. §. 5. & quidem his verbis: Margareta Sibylla Löſeria, gente Einſidelia à Syra, Fœmina generoſiſſima, Generoſiſſ. atq; Max. Stren. Dn. Conradi Löſeri, Toparchæ in Salitz &c. Sereniſſ. & Potentiſſ. ELECT. SAXON. Conſil. Camer. atq; Mareſchalli &c. Vidua; quæ eruditiſſima Fœmina, à trium ſuperiorum Facultatum ſtudio haud vulgari commendatiſſima orbi literato innoteſcit. Quod enim non primoribus tantùm labris deguſtaverit Theologiam, id in cæteris probant Ejusdem Meditationes Sacræ, quas propediem, Deo dante, ſub Tit. *Politicæ Chriſtianæ* in publicam emittet lucem. Nec Theologica hac eruditione minor eſt Ipſius Eruditio Juridica, uti ii nôrunt, qui coràm in Fœmina eam admirantur. Inprimis excellit hæc Minerva Miſnica in Arte Medica, & Experimentis Chemicis, indeq; Sennertum ſibi adeò familiarem reddidit, ut vel ad unguem eundem calleat. Ex quibus facilè conjicere licet nòn vulgarem quoq; eſſe Ipſius eruditionem Philoſophicam atq; Philologicam, quarum adminiculo in ſublimiore illa eruditione adeò excellit.

ELISABETHA Palatina, Abbatiſſa Hervordienſis, haud diu abhinc inter eruditos eruditiſſimæ Fœminæ nomen obtinuit. Eos, qui vetuſta rerum monumenta compoſuerunt, verſavit diligentiſſimè; Linguas tam orientales quàm occidentales calluit ut plurimùm, Philoſophiæ tum Sacræ tum Profanæ ſcientia inprimis celebris. Sunt, qui tradant, eam non alio, quàm *Doctæ Dominæ* nomine fuiſſe appellatam. Exceſſit è vita A. 1680. Vid. Generoſ. Dn. Im Hof in Notit. Procer. Germ. p. 137. §. 9.

ELISABETHA, A. 1140. in *Schönaugia* Monialis facta, poſtmodum Abbatiſſæ munus obtinuit. Quòdſi ea omnia credere velimus, quæ tum Frater ipſius Ecbertus, Canonicus olim Bonnenſis, in Deſcript. Vitæ ejus, tum D. Carolus de Viſch in Biblioth. Scriptorum Ord. Ciſterc. p. 296. de ea prodidit memoriæ, non Eruditis tantùm Mulieribus, ſed & Sanctis annumerandam eſſe cenſeo. Sejunxit ſeſe ab hac terreſtri materia A. 1146.

14. Kal. JunI, ſepultaque eſt in Choro Monaſterii S. Florini. Vid. de Viſch, l. c.

ERDMVTH SOPHIA, Sereniſſ. & Potentiſſ. ELECT. SAXON. JOH. GEORG. II. Filia, ante omnes alias pietate, clementiâ, rerumq; ſcientiâ fuit inſignis. Hinc etiam tantum apud ſubditos ſui reliquit deſiderium, quantum verbis vix ac ne vix quidem aſſequi ego potero. Excellentisſimas virtutes Ipſius IPSE LEOPOLDVS, Imperator noſter Auguſtisſimus, (Quem Summum NVMEN quàm diutisſimè adhuc Victorem ac Triumphatorem Magnum ac Felicem intereſſe mortalibus ſinat!) cùm Francofurti ad Mœnum de eligendo Cæſare A. 1658. deliberaretur, ſuſpexit. A. 1662. 19. Octobr. Nuptiis adjuncta eſt Sereniſſimo Principi Baruthino, DN. CHRISTIANO ERNESTO, Cujus virtutem univerſa Germania non ſine ingenti commodo, hoſtes verò noſtri, & præcipuè Turcæ, non ſine gravi damno experti ſunt hactenus ſatis ſuperq;. Sed verò amabilis hujus Conjugii Vinculum importuna mors A. 1670. diſſolvit. Edidit hæc Princeps Laudatisſima Librum Germanico nomine dictum, *das Welt-Alter:* qui ſicut inter eruditos notus ſatis, ita etiam eruditus ſatis eſt.

F.

FRIESIA (Henrietta Catharina), Perllluſtr. & Generoſiſſ. DN. Caroli à FRIESEN &c. Filia, hodieque Excellentiſſ. & Generoſiſſ. Dn. à Gersdorff &c. Conjux ſplendidiſſima, Carmina fundit felicitate mirâ, tum Germanicâ tum Latinâ linguâ. Vid. CL. Sauerbrei Diſp. poſter. de Fœm. Eruditione, in Catal. §. 3. ubi ſummis, iisq; digniſſimis, eam deprædicat laudibus. Petr. Axenius in Notis ad Phædrum. p. 3. ait: Perilluſtr. & Generoſiſſ. Virginis, Henriettæ Catharinæ L. B. à FRIESEN, Eruditio & Doctrina in fœmineo quidem ſexu ſine exemplo eſt, indoles hominem ſupra. Non poſſum ſanè non admirationis impleri, cùm Te cogito,

Patrima Nympha, ſeculi ac morum Decus,
Monſtrumq; purum labis, ac probro carens!

Hæc ille. Alius Ipſam Vivam omnium Muſarum ac Gratiarum Imaginem dixit. Vid. plura de eadem Matrona nunc Illuſtriſſ. Celeberrimaq; in CL. Paſch. Gynæceo.

FVGGERIA (Sidonia Iſabella) Auguſtana, Baroni Villingerano nupta, ad miraculum usq; (Cruſio teſte L. X. Part. III. Annal. Suev.) Latinâ linguâ loqui potuit.

G.

GERSDORFIA, vid. FRIESIA.

GERTRVDIS, Sanctimonialis Germana, A. 1280. claruit. Hæc tantâ fuit pietate, ut ob eandem albo Sanctarum Mulierum inſereretur. Scripta ejus congeſſit Joh. Lanspergius, inq; V. Libros digeſſit.

GREIFENBERGIA (Catharina Regina), Baroniſſa à Seyſenegg, noſtri adhuc ævi Lux eſt & Splendor; plurimumq; Noribergæ degit, interdum etiam Seyſeneggii in Auſtria verſatur. Emiſit Teutonicam Vranien; & Meditationes de Nativitate & Juventute CHRISTI ſacras, verè ſacras; nec non piiſſimam Hiſtoriam de Paſſione ſanctiſſima Sanctiſſimi SALVATORIS noſtri. Hanc Illa communicavit cum Excellentiſſ. Dn. D. Wagenſeiljo: qui, cùm deguſtâſſet pauliſper ſuavitatem & elegantiam ſtyli, ex admiratione in ſtuporem raptus, Incomparabili Matronæ his verbis inſcriptam eandem remiſit: Credere ſe, Ipſam ex ala Aquilæ, quæ S. Johannis Symbolum erat, decerpſiſſe calamum, quo cœleſtia hæc ac planè divina exaraverit. Statura Ejus mediocris quidem eſt, Spiritus verò excelſus; ut propterea jure dicere quis poſſit, totam GREIFENBERGIAM eſſe Spiritum.

GRVNBACHIA (Argula), in Theologicis ſic exercita erat, ut, memorante Fontano l. V. Hiſt. p. 313. Theſibus palàm productis, in arenam diſputandi non modò profanos, ſed etiam ipſos Theoſophiæ Doctores & Licentiatos cujuscunq; Vniverſitatis provocare non fuerit verita. Epiſtolas, quas ad viros eruditos ſcripſit, nil niſi pietatis & religionis Evangelicæ zelum ſpirant. Vid. Paſch. in Gynæc.

GVERIN (Margareta), Nobilis Matrona à Pinha, Miſnica, Latinæ Linguæ fuit peritiſſima. Iterabimus mentionem ejus infr. in Lit. I. ubi de IVNKERIA dicendum erit.

GVILLELMINA Boëma, A. 1281. mortua, hæreſeos ſuſpecta; de qua, ejusq; aſſeclis, Diſſertationem conſcripſit Joh. Petr. Puricellus. Vid. Acta Erudit. Lipſ. A. 1687. p. 595.

HAY-

H.

HAYMAIRIA (Magdalena), Ratisbonenſis, circa A. 1572. claruit. Siracidem & Epiſtolas Dominicales ligato ſermone eoq; Germanico edidit.

HERRADIS à Landsperg, quæ floruit circa medium ſec. XII. Librum reliquit linguâ Latinâ conſcriptum, in quo res memorabiles in gratiam totius Coronæ Hohenburgicæ atq; omnium Nobilium Virginum, quæ divini cultus gratia in auguſtiſſima illa totius Alſatiæ ſpecula confluxerant, vitamq; ſuam Deo & pudicitiæ perpetuæ devoverant, ex V. & N. T. congeſſit. Titulus Libri eſt: *Hortus Deliciarum*; qui Hohenburgi etiamnum cum cura aſſervatur. Vid. Hallerv. in B. C. p. 128. 129. Et Bruſchius de Monaſt. Germ. p. 558. de illa hæc habet: *Evocatæ ex hac vita Rilindi ſurrogata & ſubſtituta eſt, ab eodem Cœnobii hujus (Hohenburgenſis) Advocato, Dn. Frid. Barbaroſſa, tum Rom. Imperatore, ſuffragantibus unanimi conſenſu omnibus ſororibus & Monialibus, Domina Herradis, ex nobili Landspergiorum Familia nata, Cœnobii Altitonenſis profeſſa, Rilinde nec Virtutibus nec Doctrinâ inferior. Quæ divinum cultum augeri volens, Truttenhuſium Cœnobium ad pedem montis ſitum A. D. 1181. de ſuis condidit, dotavitq; propriis bonis liberaliſſimè. Extitit in Altitona, ante paucos adhuc annos, Liber ſacrarum ſententiarum juſtæ magnitudinis, ipſius manibus in mundiſſima membrana ſcriptus, & ex diverſis tum Bibliorum, tum Veterum Doctorum monumentis ab ipſa collectus, Sororibusq; Epiſtola præliminari nuncupatus &c.*

S. HILDEGARDIS, Abbatiſſa, claruit temporibus Friderici I. ac, juſſu Helengeri Abbatis, ſcripſit Vitam S. Diſibodi, Epiſcopi & Confeſſoris: quæ eſt apud Surium ad Jul. VIII. Item Vitam S. Berthæ, & S. Ruperti Confeſſoris: quæ MSa ſupereſt, ac quædam exinde à Quentelio Coloniæ edita unà cum Hildegardis Epiſtolarum Libris. Meminit hujus Ruperti Vitæ, ab Hildegarde conſcriptæ, etiam Jacob. Phil. Bergomas in Chron. ſuppl. lib. XII. ad annum CIↃ C LVII. Ipſius Hildegardis Vitam exorſus eſt Godefridus: ſed pertexuit eam ac tribus Libris comprehendit Theodoricus, Abbas Benedictinus. Hæc de Hildegarde habet Voſſius Lib. II. de Hiſtor. Lat. cap. 53. p. 435. Qui idem

Lib. IV. Theol. Gent. p. m. 1601. 1605. allegat S. Hildegardis Phyſices ſive Rerum Naturalium Libros.

HILDEGVNDIS, Virgo ſexum mentita, habitum Ordinis Ciſtercienſis aſſumſit in Sconaugia Ciſtercienſi, Virorum Cœnobio in Palatinatu Electorali, in quo ad finem vitæ ſuæ ſanctè dicitur perſeverâſſe. Scripſit Carmine non invenuſtô Libellum inſignem de Vita ac prærogativis S. Johannis Baptiſtæ, ac gaudio Parentum ipſius. Vid. Carol. de Viſch in Bibl. Ciſterc. p. 151.

I.

JOHANNES VIII. Pontifex Rom. Sec. IX. vixit. Mulier erat, & quidem, ut plurimi tradunt, Moguntina, ſexum virilem mentita. Literis incubuit tam ſedulò tamq; feliciter, ut defunctô Leone IV. A. 853. digna habita fuerit, quæ ei ſubſtitueretur. Tempore Pontificatus ſui omnia Rom. Pontificis munera exercuit. Fœminam eſſe hâc ratione tandem innotuit: ſcilicet miſella Agnes (hoc enim ei fuiſſe nomen ferunt) à familiari ſuo gravida facta, in publico quodam proceſſu partus dolores ſentire, iisque urgentibus infantem edere cœpit: ex quo partu tamen ipſa, unà cum infante, exſtincta eſt. Sedit annos II. menſes V. & dies IV. De Scriptoribus, inter ipſos etiam Pontificios, quàm plurimis, & argumentis veritatem hujus rei confirmantibus, vid. Chriſt. Adam. Rupertus in Obſervatt. ad Synopſ. Beſoldi c. 17. p. 634. 635. Samuel Mareſius in Papiſſa reſtituta: Diſputatio Magnif. Dn. D. Godof. Hændelii, Parentis mei optumi, æſtumatisſimi, quam, cùm Heilsbronnæ Francorum Antiſtitis & Theol. Linguæq; Hebr. Prof. P. munere adhuc fungeretur, habuit: *Utrum Mulier Papa fuerit?* nec non Excell. Dn. D. Wagenſeilii, ante quinquennium in hac alma Altdorffina de Romanis Pontificibus, ex Germanorum Gente creatis, publicè defenſa, p. 7. & ſeqq. ut & Cl. Dn. M. Lehmanni Diſſertatio, cui Tit. Infelix Puerpera Johannes VIII. Pontifex, Witteb. propoſita A. 1669 Joh. Pannonius, Scriptor Pontificius, hac de re ita canit:

Petre tuâ Quædam fuit auſa ſedere Cathedrâ,
Orbi terrarum jura ferenda dedit.
Hæc compreſſa quidem multos latuiſſet in annos,
Facta foret partu ni manifeſta novô.

Poſt

Poſt hæc Roma diu ſimili ſibi cavit ab aſtu,
Pontificum arcanos quærere ſueta ſinus:
Nec poterat quisquam reſerantes æthera Claves
Non exploratis ſumere teſticulis.
Cur igitur noſtro mos hic jam tempore ceſſat?
Antè probat quòd ſe quilibet eſſe marem.

IUNKERIA (Catharina), Egrana, ſuperiore innotuit ſeculo. De hac Caſp. Bruſchius in Deſcript. Montis piniferi (*Fichtelberg*) p. 7. hunc in modum diſſerit: *Es wohnet heutiges Tages, zu Eger, eine chriſtliche Witbe, Frau Catharina Junkerin, der Kunſt und Geſchicklichkeit, daß ſie auch wohl einem hohen Theologo ſolte zu ſchaffen geben: denn ſie alle Bücher, ſo nun lange Zeit von Religions-Sachen geſchrieben ſind, ſo fleiſſig durchſuchet und geleſen hat, daß ich gänzlich dafür achte, ſie ſeind ihr bekannter, dann etwan denen ſelbſten, die ſolche Bücher geſchrieben haben. Bey und um gemelte Witbe iſt ſtäts, und lebt aufs einträchtigſt, ein anders über alle maſſen erbahres und gelehrtes Weib, Margareta Guerin, eine von Adel, aus deren von Pinha (ſo zu Elſterwerk in Meiſen wohnhafft, und eines faſt alten Herkommens ſind) Geſchlecht gebohren: welche nicht nur allein der Teutſchen, ſondern auch Lateiniſchen Sprach kundig iſt. Zu welchen zweyen ehrlichen und alles Lobs würdigen Matronen, ſo ſich noch eine fände, die ſich auch dermaſſen Kunſt und Erbarkeit befliſſe, alſo, daſs ihrer 3. würden, dörffte ich ſie warlich die 3. Charites oder Gratias, auch ohne Scheu, nennen: ſo gottſeeligen, heiligen, und ehrlichen Wandels ſind ſie, ſo nur von hohen, heiligen, und gelehrten Sachen reden &c.* Add. Zeilerus Cent. V. Epiſt. 68. p. 441. 442.

L.

LANGIA (Barbara Helena), Norimbergenſis, in Florigera ad Pegneſum Societate *Erone* nuncupata. Scribit concinna carmina Teutonica, etiam Gallica: & Gallica quædam ſcripta vertit jam Latinè. Sculpit præterea, pingit, fingit ex ebore, cera, alabaſtro, tam affabrè, ut admirationem pariter ac delectationem excitet in oculis animisq; ſpectatorum.

LAURENTIA ab Adlershelm, Lipſienſis, Patre nata Conſule Lipſienſi, etiamnum ætatem degit. Notitiam habet plurimarum Linguarum valdè eximiam, rerumq; naturalium novarum admodum eſt ſtudioſa, ſic, ut ſingulare exſtruxerit conclave, in

quo multa miratu digna aſſervari dicuntur, quodque ab iter facientibus non ſine ingenti delectatione viſitur.

LEHMANNIA Lipſienſis; Excell. Dn. D. Lehmanni, Superintend. & Theol. Prof. Lipſ. Celeberrimi, Filia, excelſæ indolis Virgo, Hebraica præcipuè callere dicitur. Linguæ item Latinæ ac Gallicæ eſt peritiſſima.

LIMBVRGERIA (Regina Magdalena), Adm. Rev. Dn. M. Martini Limburgeri, Paſtoris in Villa Cratonis, prope Norimbergam, Vigilantiſſimi, & Sodalitatis ibidem Florigeræ Antiſtitis Meritiſſimi, Vxor dilectiſſima; in eadem Societate *Magdalis* nominata, Poëtria Coronata, & ex carminibus Teutonicis, quæ jam multis ab annis ſcripſit, hodienum celebrata.

LÖSERIA. Vid. EINSIDELIA.

LVDOVICA MARGARETA, Lotharingia, Henrici Guiſiæ Ducis ex Catharina Cliviaca, Filia, Franc. Borbonii, Principis de Conti Vxor. A. C. 1620 Aulæ res ſub fabulæ involucro deſcripſit. Vid. Cl. Paſch. in Gynæc.

M.

MARGARETA, Auſtriaca, Maximiliani I. Imp. Filia, Joannis Hiſp. Principis, & Philiberti Duc. Sabaud. Vxor, A.C. 1530. naturæ ſatisfecit, ætatis 50. poſtquam varia tam proſa quàm vorſa oratione compoſuerat; inter quæ etiam referenda Diſſertatio de Vita ſua. Vid. Hoſm. in L. V. T. I.

MECHTILDIS ab Hackenborn, Monialis (ſec. Miræum Lib. de Scriptor. Eccleſ. c. 466. & alios) Helfedenſis, in Comitatu Mansfeldico; ex mente verò Jac. Fabri, Beati Rhenani, & aliorum, Ordinis fuiſſe dicitur S. Bernhardi ſive Ciſtercienſis, & habitaſſe circa montes Rhetios, verſus Helvetios. Vid. de Viſch in Biblioth. Ciſterc. p. 241. & ſeqq. Reliquit Viſiones & Revelationes; item Opus peculiare de Gratia Spirituali. Quod ſcriptum B. Thomaſius (circa fin. Diſp. I. de Erudit. Fœm.) Lipſiæ juſſu Zedenæ, ſeu Sidoniæ, Ducis Saxonicæ A. 1505. impreſſum hoc laudat titulo: Das Buch der Bottſchafft oder Legation Göttlicher Gütigkeit / durch eine ſonderliche andächtige ſeelige Cloſter-Jungfraue des Cloſters Helffede etwa bey Eißleben im Lande zu Sachſen / aus Göttlicher Eingebung gemacht.

MELANCHTHONIA (Anna), Wittebergenſis, D. Philip. Melanchthonis, communis illius Germaniæ Præceptoris, Filia, Latinæ

tinæ Linguæ fuit doctiſſima. Nuptiis coiit A. 1536, annos nata quatuordecim, cum Georgio Sabino, Poëta laudatiſſimo.

MÖLLERIA (Gertrudis), nata Eifleria, Regiomontana, Celeb. Dn. Petr. Mölleri, Med. D. & P.P. in Acad. Regiomont. b. m. Conjux; Poëtria Coronata. Scripſit ediditq; Carmina multa nitidiſſima, atque, inter alia, Librum Odarum Germanicarum. Solatus eſt eandem Cl. Dn. Joh. Petr. Titius, Prof. Gedan. ſuper obitum Mariti, carmine doctiſſimo, in quo hæc legere licet:

Gertrudis decimum pridem jubar addita Muſis,
Pallados & Phœbi Gloria quanta tui?

Et porrò:

Quæ manus inſcribet doctis Eifleria cedris,
Per maria & terras ſedula fama vehet.

Ac tandem:

Priſtina commemorent veteres miracula chartæ:
Audebunt etiam ſecula noſtra loqui!

Conſolata eſt viciſſim Mölleria laudatum Dn. Titium, ſuper beatam Conjugis ſvaviſſimæ, Annæ Borkmanniæ, mortem, Carmine germanico, eoque elegantiſſimo. Vivit adhuc, & in Florigera ad Pegneſum Societate appellatur *Mornille*; eſtq; Excell. Dn. Præſidi ex literis metrisq; politè ſcriptis notiſſima, honoratiſſima. (Liceat bonâ cum Lectoris pace, hoc ſexus fœminei ornamentum, ex Boruſſia Ducali, Potentiſs. ELECTORI BRANDENB. cujus Nomen ego veneror Eminentiſſimum, illudq; cœlo aſſeri precor devotiſſimè, ſubjecta, Eruditis Germaniæ Mulieribus omninò annumerare!) Callet præterea Linguam Latinam & Gallicam; ac Filiam habere dicitur nec formâ nec eruditione Matre minorem.

MORATA. Vid. OLYMPIA.

MÜLLERIA (Barbara Juliana), Norimbergenſis, Hiſtoriarum campos ſedulò peragravit, tantâq; arte ac ſuavitate Germanica conſcripſit Carmina, ut in Societatem Florigeram ad Pegneſum quæ reciperetur, nomineq; *Daphnes* inſigniretur, digna omninò habita ſit. Coronata fuit Poëtria; ac diem ſuum aliquot ante annos placidè obiit.

N. NV-

N.

NVTZELIA (Anna Maria), nata Paumgartneria, Norimbergenſis, in Ordine ad Pegneſium Florigero *Amarillis* dicta. De hac, & digno tanta Coniuge Marito, audatiſſimus Dn. Præſes in Orat. Parentali D'vis *Gabrielis Nützelii* Manibus conſecrata, ſequentia protulit: *Vir Generoſus* **Dn. Carolus Benedictus Nützelius**, *Reip. patriæ Senator, prudentia, eruditione, judicio, & omnibus Togæ Sagiq; artibus inſtructiſſimus, domum duxit, Venere ac Junone plaudentibus, fœminei ſexus ſplendorem, Virginumq; Nobiliſſimarum Decus,* **Annam Mariam**, *Viri Summi,* **Joh. Pauli Paumgartneri**, *ab Holenſtein & Lohnerſtadt, in Grünſperg, Rei tam Publicæ quàm Literariæ grandis Præſidii, nunc Septemviri, Filiam natu maximam, Muſarum decimam, quæ ipſa, Carminibus ſani coloris*

Formoſam reſonare docens *Amarillida* ſilvas,

tam laudanda ſcripſit quàm fecit, artiumq; elegantiorum ſtudio Doctiſſimam illam Charitum Pirckeimerianarum Trigam (agnatione ſibi junctam) vocavit in contentionem. Add. Damons Nützlicher Baum-Garten / p. 70. & ſeqq. Obiit morte beatâ, ſed præmaturâ, A. C. 1685. d. 30. Octobr.

O.

OLYMPIA (Fulvia Morata), natione quidem Itala, nupſit tamen in Germania Andreæ Grunthlero, Medico Swinfurtenſi; compoſuit Epiſtolas & Carmina, Græcâ, Latinâ, atq; Italicâ Linguâ, adeò eleganter & nitidè, ut neminem non in admirationem trahat ſublimis ejus eruditio. Opera illius omnia, Cælio Secundo Curione curante, ELISABETHAE, Angliæ Reginæ, itidem ad miraculum doctæ, inſcripta ac divulgata ſunt Baſileæ, form. 8. A. 1570. Epitaphium ejus ita habet:

DEO IMM. S.

ET VIRTVTI AC MEMORIAE OLYMPIAE MORATAE, *Fulvii Morati Mantuani, Viri Doctiſſ. filiæ, Andreæ Grunthleri, Medici, Conjugis lectiſſimæ, fœminæ, cujus ingenium ac ſingularis utriusq; Linguæ cognitio, in moribus autem probitas, ſummumq; pietatis ſtudium, ſupra communem modum ſemper exiſtimata ſunt. Quod de ejus vita hominum judicium, Beata mors ſanctiſſimè ac pacatiſſimè ab ea obita,*

obita, divino quoq; confirmavit teſtimonio. Obiit mutato ſolo à ſalute D LV. ſupra milleſ. ſuæ ætatis XXIX. Hic cum marito & Æmilio fratre ſepulta Heidelbergæ.

Guilielmus Raſcalonus M. D. B. B. MM. P. P.

Micyllus ſequens metricum concinnavit:

D. OLYMPIAE FVL. MORATAE
QVAE OBIIT VII. CALEND.
NOVEMB. ANNO DOMINI
M. D. LV.
EPITAPHIVM
MICYLLVS FACIEBAT.

Italis hac tegitur telluris Olympia mole,
Pierios inter fœmina prima choros.
Quæ patriæ quondam cum conjuge ſede relicta;
Ad vada conſedit, flave Süeve, tua;
Hic ubi finitimos exercet vinea Francos,
Et liquidis juxta Mœnus aberrat aquis.
Mox ferus incenſa fureret cum miles in urbe,
Ferret & hoſtili ſacra profana manu,
Bis ſpoliata bonis, bis ſævæ proxima morti,
Venit ad hæc Nicri flumina juncta vadis.
Addiderat Muſis Græcorum ſcripta Latinis;
Et pariter Lingua docta in utraq; fuit.
Naturæ ſpecimen rarum felicis, & una
Ingenio cunctis anteferenda viris.
Sed neq; laudis honos retinet neq; gratia Parcas:
Occidit & longa nocte ſepulta jacet.
Cujus tu cineri requiem, placidumq; ſoporem,
Optes, ô hoſpes; cætera morte vacant.

P.

PEVTINGERIAE, Peutingeri Filiæ, Auguſtanæ, Virtutibus Literisq; nobiles atque eximiæ virgines. Ex his una, puella quadriennis, MAXIMILIANVM Cæſarem, Auguſtam Vindelicorum venientem, Latina acclamatione Reip. nomine ſalutavit. Vid. Cruſius Lib. IX. p. 3. Annal. Svev.

PIRCKEIMERIAE (Charitas & Clara), Bilibaldi Pirckeimeri, DD. MAXIMILIANI I. & CAROLI V. Impp. Augg. Conſiliarii, Equitis Aurati, ac Senatoris Norimbergenſ. in tantum laudandi, in quantum Nobilitas, Virtus, ac Eruditio intelligi posſunt, Sorores. Itemq; *Catharina* Ejusdem Amita; *qua urbs Norimberga*, (teſte ipſo Pirkeimero in Epiſt. I. ad Sororem Charitatem) *nihil cultius, doctius, aut abſolutius vidit.* Soror *Charitas* erat Cœnobii S. Claræ Abbatiſſa; cui Chriſtoph. Scheurelius has impertitur laudes: *Contuliſti te exemplo Majorum tuorum ad bonas Literas, ſueviſti pro lana librum, pro fuſo calamum, ſtilum pro acu tractare: donec ſupra ingenii muliebris captum ad tantum Literarum faſtigium perveniſti, ut Epiſtolas ſcribas & Orationes componas, ſubtiles, elegantes, Latinas, eruditas, & quanquam quadam virginali gratiâ dulciſſimas, tamen etiam mira ſententiarum gravitate refertas.* Conſ. Bruſch. de Monaſt. German. p. 394. & ſeqq. De utraq; *Charitate* & *Clara*, Conradus Rittershuſius in Comment. de Vita Bilib. Pirckeimeri teſtatur, quod Literis probè excultæ fuerint, & non tantùm Linguam Latinam, ſed etiam Sacram Scripturam egregiè calluerint, ut non tantùm cum Fratre Bilibaldo, verùm etiam aliis illius ævi doctiſſimis Viris, non ſine omnium admiratione, & Literas Latinas communicârint, & Sermones de rebus arduis contulerint.

PRASCHIA (Suſanna Eliſabetha), Nobiliſſimarum Fœminarum doctiſſima, doctiſſimi pariter atq; Magnifici Senatoris ac Proto-Scholarchæ Ratisbonenſis, *Joh. Ludovici Praſchii*, Conjux amabiliſſima; edidit quatuor ante annos Libellum elegantiſſimum cui tit. Reflexions ſur les Romans, par Madame S. E. P. i. e. Conſideratio Fabularum Romanenſium, per Dn. S. E. P. Vid. Acta Erudit. Lipſ. A. 1684. p. 433. 434.

R.

REDSLOBIA (Anna Sophia), B. M. Jacobi Redslobii, Paſtoris Luccâ-Luſati quondam meritiſſimi, ſuperſtes vidua, B. Dn. Wilmari, Concion. Aulici Oldenburg. Filia, felicis oppidò ingenii fœmina, quæ ad Latinam Linguam promtè loquendam, pangenda carmina, ac ſermones eruditè formandos, parata ſemper & apta perhibetur.

RILINDIS, Hohenburgenſis Abbatiſſa in Epiſcopatu Eichſtadiano, celebre nomen obtinuit Sec. XII. Varios ad Sorores Hohenburgen-

burgenſes & Altitonenſes ſcripſit Verſus. Bruſch. ejus prolixè meminit de Monaſt. Germ. p. m. 351. 352. 558.

ROSVIDA. De hac memorat Voſſ. L. II. de Hiſt. Lat. c. 41. ſequentia: Roswid, ſive Hroswith, Gandeshemenſis, (ſecundum alios, *Gandersheimenſis*) quæ nonnullis Rosvida, vel Rosvitis aut Rosvidis nominatur, claruit temporibus Ottonis II: cujus juſſu non minùs quàm Gerbergæ Abbatiſſæ, heroicô Carmine Hiſtoriam ſeu Panegyricum reliquit de Geſtis primi Ottonis, ſive, ut ipſa ſemper vocat, Oddonis. Præterea verſu elegiaco tradidit Paſſionem S. Dionyſii Epiſcopi & Martyris. Item Carmine panxit Paſſionem S. Pelagii, Hiſpani Martyris. Etiam egit de Laudibus B. Virginis, item S. Annæ, adhæc de S. Gangulpho, & aliis Sanctis. Quæ omnia prodiere Noribergæ A. CIↃ IↃI. procurante Conrado Celte, primo Germaniæ Poëta Laureato. Panegyricus verò Ottonis in Germania cum aliis aliquot Rerum Germanicarum ſcriptoribus recuſus eſt curâ Juſti Reuberi. Fuit virgo hæc ut genere nobilis, ita pietate inſignis: nec Latino modò carmine pollens, ſed & Græcè docta &c. Hæc & plura Voſſius. Cui conf. Bruſch. de Monaſt. Germ. p. 234. item Lippen. Biblioth. Philoſ. p. 1076. nec non Frid. Taubmannus: qui in Præfat. ad Virgilii Culicem ſcribit: *Habui ego in Bibliotheca illuſtris puellæ Germanæ, cui Nomen* Hroſvitæ, *Comœdias ſex in æmulationem (uti præſcripſit) Terentii factas: item Panegyricum Hexametrô & Elegiacô carmine* Oddoni Magno *dictum, annis abhinc ſeptingentis & amplius.*

S.

De SALIS, Illuſtris atq; Excellentiſſimi Dn *de Jena &c.* privigna, Gallicanæ, Italicæ & Latinæ Linguæ doctiſſima, Hiſtoricos excellentiores, inprimis Tacitum, ſibi reddidit familiariſſimos. Teutonicos etiam verſus propitiâ fundit Minervâ. Nunc unà cum Marito Generoſiſſimo degit Breſciæ in Italia.

SCHELHAMMERIA (Maria Sophia), nata Conringia, Nobiliſs. atq; Excellentiſs. Dn. *Guntheri Chriſtophori Schelhammeri*, Med. D. & Prof. P. in Acad. Julia Celeberrimi, Vxor melitiſſima. Eſt hæc Linguæ Gallicanæ apprimè perita, inq; doctrina Sphærica, Geographica, Hiſtorica verſatiſſima. Scribit Carmina Teutonica faventibus Muſis & Apolline, perinde uti Sorores ejus Nobiliſſimæ, *Sauberta* & *Reichenbachia.*

SCHONAVGIENSIS (Eliſabetha) Sec. XII. Ordinis Benedictini in Diœceſi Trevirenſi Abbatiſſa: Rosvidæ diſciplinam & ſtudia ſecuta, inter alia reliquit Librum de Origine, Inventione, & Nominibus Virginum undecim millium. Vid. Voſſ. de Hiſt. Lat. lib. II. c. 50. fin. Ferunt etiam Latinè permulta, quæ divinitus monita videbatur, item Svaſorias Orationes illam concinnâſſe, inprimis Eruditarum Epiſtolarum volumen. Compoſuit Librum de Obitu Sororis hujus ſuæ S. Eliſabethæ Schonaugienſis, frater Ecbertus, Abbas S. Florini. Vid. Voſſ. ibid. lib II. c. 53. p. 430. Ejusdem Eliſabethæ Viſiones, cum Viſionibus Hildegardis & Mechtildis, ab Henr. Stephano Seniore Pariſ. editæ ſunt, A. 1513.

SCHVRMANNIA (Anna Maria), quæ maximam quidem vitæ partem Trajecti ad Rhenum in Belgio floruit: quoniam tamen in ditione Colonienſi nata eſt, tandemq; ante vitæ finem conſedit Altonæ, propè Hamburgum; idcircò liceat hic inter eruditas Germaniæ Mulieres eam quoque deprædicare, ac verbis quidem Ludovici Jacobi á S. Carolo, Cabilonenſis Carmelitæ, è Bibliotheca illuſtrium Fœminarum, quæ ſcriptis claruerunt: *Anna Maria à Schurman, in ditione Colonienſi, hoc ſeculo, præclaris Parentibus nata. Ab ipſa adoleſcentia, in morum honeſtate educata, ac humanioribus literis impensè dedita, poſteà ingreſſa Philoſophiæ fontes atq; abdita Theologiæ, in eruditiſſimam tandem Muſam evaſit. Vnde creſcente fama, cum eminenti doctrina, ſexus fœminei, noſtra ætate, miraculum, ſeu naturæ monſtrum, ob ingenii ſtupendi fœcunditatem, ab omnibus prædicatur & vocatur. Pari digna eſt laude, ob ingentem & inauditam linguarum cognitionem. Nam (quod prodigioſum eſt) nullam ſive Orientalem, ſive Occidentalem ignorat. Verſatiſſima eſt in Lingua Hebraica, Chaldaica, Syriaca, Arabica, Turcica, Græca, Latina, Gallica, Anglica, Italica, Hiſpanica, Germanica, Belgica, & Batavica, o res miranda! etiam in omnigenæ literaturæ ſtudio celeberrima. Hinc factum eſt, ut ſummam contraxerit amicitiam cum doctiſſimis quibusq; viris, qui nunc per Europam florent.* Hæc & plura Lud. Jac. à S. Carolo. Frid. Spanhemius edi curavit Opera ejus Ebræa, Græca, Latina, Gallica, Proſaica & Metrica, Lugd. Batav. 1650. Caſp. Barlæus Lib. III. Heroic. p. 449. 450. magnifico carmine laudes ejus perſequitur. Idem agit Part. II. Eleg. Lib. III. p. 173. Obiiſſe dicitur A. 1678.

SCHWARZIA (Sibylla), de qua proferre hic juvat, quæ habet Celeberrimus Dn. Morhofius, im Unterricht der Teutſchen Sprach und Poeſie p. 438. 439. Um das Jahr 1638. lebte Sibylla Schwarzin / Herrn Chriſtian Schwarzen / Fürſtl. Pommeriſchen Geheimen Land-Raths und Burgermeiſtern der Stadt Greiffswald / Tochter. Dieſe war traun ein Wunder ihrer Zeit / dann Sie hat von dem dreyzehenden Jahr ihres Alters / biß zum ſiebenzehenden / worinn ſie ſeeligen Todes verblichen / Verſe geſchrieben / die vor ſolche zarte Jugend / und zwar einer Frauen-Perſon / unvergleichlich seyn. Da zu derſelben Zeit Männer / die in ihrem vollſtändigen Alter / und nachgehends keinen geringen Ruhm in der Poeſie erworben / es ihr beyweiten nicht gleich gethan. Nach ihrem Tod seynd ihre Verſe von M. Samuel Gerlach zu Danzig A. 1650. in 4to herausgegeben / und mit des Herrn Paſtorii und Herrn Titii aufrichtigen Lob-Sprüchen beehret.

SENGERIA (Juſtitia), Virgo Brunſvicenſis, cœca nata, vixit ſuperiore ætate circa A.C. 1583. Vid. Hallerv. in Bibl. Cur. p. 225. Reliquit Pſalm. LXIX. de Paſſione CHRISTI explicatum, eumq; publicis typis exſcriptum Friderico II. Regi Daniæ dedicavit, hoc ſub titulo: Des Heiligen Geiſtes Beſchreibung vom Leiden und Sterben unſers HErrn JESU CHRISTI / durch eine blind-gebohrne Jungfrau / Juſtitia Sengers / in Braunſchweig / zu waarer und letzter Warnung der jetzigen verſtockten Welt. Hamburg. 1593.

De SENIZ (Eliſabetha), Flos Nobilitatis Sileſiæ; Virgo generoſa, Pietatis ac Scientiæ Poëticæ laude ornatiſſima. In Florigera ad Pegneſum Societate *Celinde* appellata. Dedicavit illi Partem II. Pegneſ. B. Dn. à Birken; quem vid. ibid.

SOPHIA LOVYSA, nata Comes de Caſtell, nupta Illuſtriſſ. Dn. *Alberto Friderico*, Comiti à Wolffſtein &c. tum animi tum corporis bonis ante omnes alias generis ſui Matronas immenſum excellit. Vidi ego ac ſtupui Carmina Ejus plurima ſobriè conſcripta, eaq; cum Dn. Parente meo Honoratiſſimo, D. Hændelio, (quem Deus mihi afferat diutiſſimè!) benevolè communicata.

STOCKFLETHIA (Maria Catharina), nata Friſchia, Norimbergenſis, Poëtria Coronata & ingenioſiſſima, in Sodalitate Pegneſiaca *Dorilis* nomen geſtans, utpote *Dori* in eadem, h. e. Max. Rev. Dn. Henrici Arnoldi Stockflethi, S. Theol. Lic. & Antiſtitis

ſtitis nunc Münchbergenſis, Vxor lectiſſima, etiamnum ſuperſtes.

STROMERA, Henrici Stromeri, Auerbacenſis Medici, Archiatri Moguntini, Nata; quam eleganter latinè loquentem ſe audiviſſe teſtatur Muslerus in Orat. p. 157.

SVCCA (Maria) Leodicenſis, Benedicti de Succa JCti filia, intra ſex menſes notitiam Latinæ Linguæ, velut ſuccum, imbibit plenam perfectamq;, & in ea etiam Teſtamentum ſuum condidit. Deceſſit A. 1626. ætat. 26. Vid. Valer. Andr. in Bibl. Belg. p. 642.

V.

VELTHEMIA (Vrſula Hedwig), Dn. Achatii von Veltheim, Hereditarii auf Aderſtadt &c. filia, Latinæ, Gallicæ, Italicæq; Linguæ, ſupra ætatem perita fuit, atque inſignis Poëtria. Vid. CL. Paſch. in Gynæc. Obiit morte immatura ante annos quatuor.

W.

WACKERIANA (Helena Maria), à Wackenfels, multarum literarum ac ſcientiarum Virgo, Pragæ obiit. Vid. Baldhoven in Catal. D. V. & F.

WAGENSEILIA (Helena Sibylla), Altorffio-Norica, Maximi Optimiq; Parentis, *Joh. Chriſt. Wagenſeilii*, J. V. D. & Juris Publ. ac Lingg. Orient. in hac celeberrima noſtra Muſarum Sede P. P. famâ ſuper æthera noti, Filia unica, Romanas Muſas callet apprimè, Græcas item adeò, ut Poëtarum ejusdem Linguæ Principem, Homerum puta, quanquam intellectu difficillimum, ſibi fecerit familiariſſimum. In Hebraicæ verò Linguæ ſtudio tantis gaudet profectibus, ut Genitori etiam ſuo, iisdem in Literis immortali cum laude ut plurimùm occupato, non mediocrem navare operam, ſuâq; arte Ejus ſublevare induſtriam ſæpè valeat. Gallicè inſuper loqui novit commodiſſimè; neq; hoſpes eſt in Italicis. Frequens Literarum commercium habet cum Magnif. Dn. D. Patini Filiabus nobiliſſimis æque ac erudítiſſimis. Recepta etiam ultrò eſt in celeberrimam Societatem, quæ dicitur *Recuperatorum*. Plura quidem longè de Virgine hac doctiſſima forent monenda; at verò ne aliquid neceſſitudini, quâ junctum ipſi eſſe mihi contigit, tribuere videar, illud ſaltem,

quod

quod Excell. Dn. Præſes meus alicubi de ea in medium protulit, annectere placet: *Virginum Nobiliſſimarum & politiùs eruditarum inſigni Decori, Helenæ Sibyllæ Wagenſeiliæ, velut Parenti Celebratiſſimo, Lingua*

Non patria aut Romana ſatis; non ſufficit uno
Ore loqui; minor eſt ſimplex facundia voto
Virginis; Argolicas etiam doctiſſima voces
Ebræasq; legit, Gallosq; ad prælia linguæ
Provocat, antiquis olim annumeranda Sibyllis.

WALPURGIS, S. Winibaldi & Willibaldi ſoror ſeculo poſt N. C. nota fuit octavo. Ei nonnulli Hodœporicon vel Itinerarium Fratris Willibaldi tribuunt. Vitam ejus compoſuit Philippus Eichſtadianus.

WESTONIA (Eliſabetha Johanna), ex illuſtri quidem Weſtoniorum familia in Anglia progenita; poſtea tamen *Johannis Leonis*, in Aula Cæſarea Pragæ Agentis, Vxor, Germanicæ, Bohemicæ, Anglicæ, Italicæ & Latinæ Linguæ ſcientiſſima. Poëtria feliciſſima, quæ literarum & carminum ſuorum commercio Viros Doctos ac Principes delectavit mirificè. Quot horum & quanti amicitiam Weſtoniæ multò eruditiſſimæ ambiverint, videre licet in Parthenicôn libris tribus, quos collegit & edidit G. Mart. à Baldhoven, Sileſ. Pragæ impreſſ. f. 8. ubi Lib. III. legitur etiam carmen Pauli Meliſſi, Franci, Com. Palat. & Equitis Aur. ad Weſtoniam miſſum, cùm ille hanc Laureâ Poëticâ inſigniret.

WINKLERIA (Eliſabetha), Vratiſlavienſis, è vita A. 1613. migravit. CL. Martinus Hankius memoriam ejus inter vitas Clarorum è Sileſia Philoſophorum & Philologorum A. 1668. celebravit.

WINSBECKIA, *Winsbeckii*, Equitis domi belliq; rebus geſtis Clariſſimi, ac FRIDERICI BARBAROSSAE Miniſtri, generoſa Conjux. De qua Celebratiſſimus Morhofius ſequentia literis prodidit memoriæq;: Unter Friderico Barbaroſſa iſt die damalige (Teutſche) Poeterey zum höchſten Anſehen erhoben / und nicht allein eine Ritterliche / ſondern Königliche und Fürſtliche Ubung worden. Man ſtritte damals an dieſes Keyſers Hofe um den Preiß dieſer Kunſt / und wurden einige Spiele angeſtellet / in welchen von den vornehmſten Matronen die Kränze den Sin-

gern

gern ausgetheilt wurden. Wie dieſes Ampt die Winsbeckin geführet / deren treffliche Vermahnung an ihre Tochter in Teutſchen Verſen geſchrieben / von dem Goldaſto, nebſt des Herrn Winsbecken ſeinen an den Sohn / und andern Verſen / herausgegeben. Im Unterricht der Teutſchen Sprach &c. p. 320. 321. Jungantur, quæ de Ipſius Dn. Winsbeckii Verſibus Germanicis habet Frid. Taubmannus in Præfat. ad Virgilii Culicem.

Z.

ZEIDLERIA (Suſanna Eliſabetha), Perquam Rev. Dn. Godefridi Zeidleri, Fienſtadienſis in Mansfeldenſi Comitatu Paſtoris, filia eleganter docta, variis ſcriptis ac Poëmatibus Heroicis haud incelebris. Potentiſſ. ELECTOREM BRANDENB. nunc glorioſiſſ. memor. A. 1681. cùm Hallenſes ipſi Homagium præſtarent, erudito Carmine Germanico, non ſine laude & gratia Electorali, excepit. Cl. Paſch. in G. D.

Atq; hæc Eruditarum Mulierum Virginumq;, quæ in Germaniâ noſtra clàruerunt olim, clarentq; hodiè, Nomina ſunt ac Elogia. Plura colligere non potui, quanquam in inquirendis iis operam non adhibuerim nullam, atque à Viro Excellentiſſimo Dn. *Georg. Matth. Königio*, Poëſeos & Græcæ Linguæ P. P. Univerſitatis item Seniore uti Meritiſſimo, ita Celeberrimo, Patrono meo ad urnam usq; ſanctè devenerando, non parum fuerim adjutus, tum Libris, queîs ad evolvendam Hiſtoriam hanc opus mihi fuerat, tum etiam Catalogo de Erudit. Mulier. manu ſua ſcripto, in uſum meum benevolè conceſſis. Quod igitur reſtat, TIBI, Æterne, Immortalis, TRINVNE DEVS, quas animô meô licet concipere maximas, ago, habeo, perſolvo, gratias, quod meam qualemcunq; in ſtudiis induſtriam divinis tuis opibus juvare ad id locorum voluiſti clementiſſimè; TEq; piâ mentis ſubmiſſione oro, proſpera & impoſterum labores meos, facq;, ut ſemper ſola Sanctiſſimi TVI NOMINIS GLORIA ultimus ſtudiorum meorum terminus exiſtat &

FINIS.

ΕΠΙΜΕΤΡΑ.

I. *Etſi apud Græcos ἡ Ἀνδρεία dicatur ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς, nihilominus Fortitudinem etiam Fœminis tribuimus.*

II. *Dantur tamen Fœminæ, quæ cordatæ ſunt, ſed non fortes.*

III. *Gradus & Honores Academicos, qualis eſt dignitas* Magiſterii & Doctoratus, *ambire omninò licet.*

SPICILEGIUM
poſt
MESSEM.

QVemadmodum cati & perſpicacis eſt venatoris, omnes quidem feras in ſylva indagare; nulli autem vitio datur non omnes cepiſſe: ita nec me reprehendes, ſpero, Lector Benevole, ſi quatuor adhuc Fœminarum Eruditarum (quarum Nomina ac Elogia in ſcheda quadam, culpâ neſcio cujus deperdita poſtea, jam delineaveram) adjecero Prioribus; adeoq́ poſt Meſſem inſtituero Spicilegium. Referenda proinde omninò eſt ſuperiùs ad Lit.

B.

BERTRADA, quæ Virgo ſacra erat, in Cœnobio Vilecenſi, temporibus CONRADI II. qui HENRICO II. ſucceſſit, ſeculo nimirum XI. De hac ita Voſſius Lib. II. de Hiſt. Lat. c. 43: *Non Viris ſolum celebratur Imperium Conradi, ſed ſequiori etiam ſexu: ante alias BERTRADA, ſive Bertâ, ſorore S. Wolfelmi, Abbatis Bruwilerenſis, Virgine ſacra in Cœnobio Vilecenſi: quæ Libellum edolavit de Vita S. Adelheidis, ſive Aleidis, primæ*

 Abba-

Abbatiſſæ Vilecenſis. Eum, ſed ſtylo mutato, exhibet Surius. Bertradæ hujus meminit etiam Conradus, Bruwelirenſis monachus, in Vit. S. Wolph. his verbis: Extiterat huic beatiſſimo Viro frater germanus, Frumoldus nomine; ſorores ſanctimoniales duæ: quarum una, Oswenda nomine, miræ ſimplicitatis, & innocentiæ fuit femina: altera verò, Berta nuncupata, literarum plurimùm emicuit ſcientia. Hæc Vitam beatæ Adelheidis, primæ Vilecenſis Abbatiſſæ, eleganti ſatis ſtylo conſcripſit, & plurimum religionis vel ſcientiæ ſuæ fructum, in eodem loco dereliquit.

Porrò ante CRAMERIAM *collocandæ ſunt in Lit.*

C.

CARTHEVSERIN (Margareta) Monialis Cœnobii S. Catharinæ, quod Norimbergæ eſt. Claruit A. 1458. Hæc Biblia Latina minore formâ & literâ, item VIII Tomos majores Muſicæ Choralis propriâ manu, ac nitidiſſimè quidem, deſcripſit: qui in Illuſtr. REIP. NORIMB. Bibliotheca Inſtructiſſima curatè aſſervantur, & à me pariter non ita pridem ibidem inſpecti ſunt ingenti cum admiratione. B. Saubertus, Pater, Theologorum Norimb. Celebratiſſimus, in Oratione poſter. de Bibliotheca Norimb. hæc habet: *Vixit hîc (Norimbergæ) ante annos ducentos, in Divæ Catharinæ Cœnobio, monacha, Margareta Cartheuſerin, quæ ſua manu octo Volumina Choralis, quam vocant, Muſicæ conſcripſit, & picturis illuſtravit ſeculo illi convenientibus, ut videlicet exſtaret ad poſteros inimitabilis induſtriæ teſtimonium, quod ex Bibliis quoq; Latinis, ab eadem elegan-*

ter deſcriptis, elucet. Et mirum eſt, quàm oculi intuentium raro hoc unius Virginis labore capiantur. Addatur Hallerv. B. C. p. 259. 260.

CLAVDIA FELICITAS, Archidux Oenipontana, An. 1673. die xv Oct. Auguſtiſſimo noſtro LEOPOLDO ſplendidiſſimè copulata; brevi tamen poſtea fatorum invidiâ terris eheu! erepta. Fuit Princeps Hiſtoriarum veterum & recentiorum cognitione, Linguarum item Latinæ, Gallicanæ, Italicæ peritiâ, morumque elegantiâ adeò excellens, ut ex omni memoria nulla Ipſi anteferatur, paucæ pares putentur.

Deniqve jure ſuô meritôq; referatur ad Lit.

E.

ELISABETHA Brandenburgica, JOACHIMI I. ELECT. BRANDENB. Neſtoris Germanici, Filia, Conjux *Erici Senioris*, Ducis Brunſvicenſis; quæ Anno 1540. vixit. Reliquit Inſtructionem doctiſſimam, piiſſimam, prudentiſſimam, manu ſua egregiè exaratam; quam Filio ſuo, *Erico Juniori*, commendavit. Vid. Hallerv. in B. C. p. 66,

Additamenta hæc Lector Benevolus *dextrè, quæſo, interpretetur, boniq; conſulat, memor illius Varroniani L. I. de Re Ruſt. c. 53:* Meſſe factâ venire oportet Spicilegium.

Ut

UT Te vidit Apollo, poteſt qui cuncta videre,
Aſſiduumq; Viris, aſſiduumq; Libris:
Libris atqve Viris, clarâ qui lampade monſtrant,
Quà datur ad Sophies currere Templa, viam;
Dixit: ô HAENDELI, Te mox ſuper Æthera tollam,
ô FILI, MAGNO digne PARENTE TVO.
Tempus erit, ſed erit breve, quô tu ſumma capeſſes
Præmia. *Virtutem præmia digna manent.*

Ita
Nobiliſſimo DN. HAENDELIO,
Candidato Magiſterii clariſſimo,
gratulabundi acclamant,

Ejusdem

COMMENSALES.